

hoc est, abominabilem errorem, qualis practice est peccatum. « Errant enim qui operantur malum, » *Proverb. xiv, 22, q. d.* Cum Deus peccatum oderit, ut rem execrabilem, quomodo illud efficiet? Rursum, cum Deus illud exsecretur, par est ut omnes qui eum timent et colunt, illud ipsum pariter exsecrentur. Græce, *omnem abominationem* (id est, rem abominabilem; metonymice enim ponitur actus pro objecto) *odit Dominus, eaque eum timentibus chara non est*; Tigurina, *omne nefas odit Dominus, nec probatur ejusdem cultoribus*; Syrus, *omnem malitiam et impudentiam odit, et non dabit eas amicis suis*. Minus recte; nam nec suis inimicis dat eas.

Nota miosin: « Non amabile, » id est, odibile, execrabile. Sic Virgilius de Cocyto fluvio inferni *Æneid. vi*: « Tristique palus inamabilis unda, » id est, horribilis et execrabilis. Justi enim, ut Deum patrem suum imitentur, summe execrantur peccatum, eo quod Deus illud exsecretur: sicut pulli aquilarum insectantur draconem, eo quod aquila eum insectetur, teste Plinio, lib. X, cap. iv. Audi S. Hieronymum epist. 1 ad *Demetr.*: « Non est exhortatio, ait, vehementior ne peccemus, quam qua nos Scriptura divina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat et metuat tanto patre agere aliquod indignum, ut, qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitii servus? Unde Paulus ait: Sicut filii Dei immaculati, ut simus immaculati; neque enim convenit in filiis Dei, quia ipse est fons justitiæ, peccati maculam reperiri. » Et post nonnulla: « Non ob aliam causam magis nobis in Scripturis divinis tam frequenter filiorum Dei nomen imponitur, ut illud quod dicitur per Prophetam: Ego ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus. Et per Apostolum, *Ephes. v, 1*: Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi. Et B. Joannes cap. iii, 2, ait: Charissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Et qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Vult nobis cœlestis doctrinæ dignitatem qua donati sumus, frequenter ingerere, et honorem nostrum peccandi pudorem facere. »

14. DEUS AB INITIO CONSTITUIT HOMINEM, ET RELIQUIT ILLUM IN MANU CONSILII SUI, — *q. d.* Deus hominem ab initio fecit liberi arbitrii. Hic clare demonstrat quæ sit origo mali, scilicet voluntas hominis, quam Deus creavit liberam, ut possit eligere bonum vel malum, idque hoc fine ut meriti et præmii sit capax. Græce, *ipse* (Deus) *creavit hominem ab initio, et permisit eum arbitrio consilii sui*; Syrus, *ipse in principio creavit homines, et tradidit illos in manus appetitus eorum*. Manus enim in Scriptura significat arbitrium, libertatem, dominium, potestatem, imperium; quia quæ in manu, vel sub manu habemus, eis pro arbitrio libere uti possumus, eisque pro potestate dominamur et imperamus. Sic Deus dixit ad Satan de *Job. cap. 1,*

vers. 2: « Ecce universa quæ habet, in manu, » id est, arbitrio et potestate, « tua sunt. » Et cap. ii, 6: « Ecce in manu tua, » id est, arbitrio tuo, « est, » ut facias ei quod tibi libuerit. Et Abraham ad Saram de Agar: « Ecce, ait, ancilla tua in manu tuâ est, utere ea ut libet, » *Genes. xvi, 6.*

Manus ergo consilii est arbitrium, potestas et libertas consilii. De iis enim tantum consultamus et consilium inimus, quæ sunt nostræ electionis et arbitrii, ut ea pro libito faciamus. Atque hæc est origo libertatis, nimirum facultas consultandi. Intellectus enim, dum voluntati de agenda re quapiam dubia et accipiti, suo discursu et consultatione proponit in utramque partem rationes probabiles, facit ut voluntas utramlibet partem eligere et capessere possit, quia in utralibet proponit illi rationes, quæ rem bonam, amabilem et eligibilem efficiant, aut certe talem apparere faciant. Libertas ergo arbitrii radicaliter est in intellectu, formaliter in voluntate; ex eminenti enim discursu et consultatione intellectus oritur libertas voluntatis in homine. Quocirca bruta quæ carent intellectu, carent et libertate; appetitus enim eorum regitur phantasia, et quod phantasia apprehendit ut bonum, vel, si duo concurrant, ut majus bonum, id illico appetitus eorum naturaliter et necessario appetit. Ita Aristoteles, lib. II *Ethic. cap. ii*: « Non omne, inquit, spontaneum eligibile est, sed id scilicet quod est præconsultatum; quippe cum electio seu propositum cum ratione ac cogitatione existat, id quod significare nomen etiam ipsum videtur, quasi id quod eligitur seu præponitur, ex aliis legatur, ponaturve ante alia. » Et cap. ix: « Consultamus, ait, de agendis rebus, atque iis quæ in nostrâ sitæ sunt potestate. » Additque causam, quia nemo nisi stolidus consultat de iis quæ fiunt a natura, fortuna et necessitate. Ac concludit: « Cum igitur eligibile nihil aliud sit, quam consultabile, et appetibile eorum quæ in nobis sunt, electio quoque eorum quæ in nobis sunt, consultativa appetitio erit; simul enim atque consultavimus, judicamus, atque inde secundum consultationem appetimus. »

Ex hoc ergo loco liquet manifeste hominem esse liberi arbitrii. Respondent hæretici loqui Siracidem de prima creatione hominis, puta Adæ, qui creatus est liber, quia dotatus fuit justitia originali, quæ faciebat eum dominum passionum et appetituum omnium: quando vero hanc per peccatum perdidit, perdidisse quoque liberum arbitrium, factumque esse servum suæ concupiscentiæ.

Verum errant manifeste. Primo, quia Siracidem non loquitur Adæ, qui jam a tribus annorum millibus mortuus erat; sed Judæis tunc viventibus, increpatque eos qui dicebant: Per Deum stat quo minus sim sapiens et bonus, ipse me implanavit. His enim opponit, dicens Deum creasse hominem liberum ut eligat bonum vel

malum, ac proinde electionem liberam hominis eum formaliter facere bonum vel malum, non vero Deum. Sensus ergo est, *q. d.* Deus ab initio creavit hominem naturæ intelligentis et liberæ, ita ut de ejus ratione et essentia sit libertas arbitrii, quæ per peccatum vel aliud quodlibet accidens tolli nequit; adeo ut si ab homine tollas liberum arbitrium, tollas pariter naturam hominis, et ex homine facias brutum. Idem aperte significat dum subdit: *Apposuit* (perperam enim aliqui legunt *apposui*, quasi sint verba Dei ad Adam: græce enim est *παρέθηκε*, id est *apposuit*) *tibi*, scilicet, o Judæe et Gentilis. Porro, quid sit esse « in manu consilii tui, » id est, liberi arbitrii, clare explicat cum subdit, hominem posse servare legem si velit, et non servare si nolit. Et rursum, ex duobus contrariis posse alterutrum eligere quod voluerit, scilicet aquam vel ignem, bonum vel malum, vitam vel mortem. Atque ita docet in homine esse libertatem tam volendi et non volendi, quæ est libertas contradictionis; quam ex duobus contrariis unum eligendi, alterum refutandi, quæ est libertas contrarietatis.

Secundo, quia alludit Siracidem ad verba Mosis ad Judæos sui ævi, *Deuter. xxx, 15*: « Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum: ut diligas Dominum Deum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius, etc. et vivas. » Ergo non loquitur Adæ innocenti, sed posteris ejus post lapsum. Hi ergo habent etiamnum liberum suum arbitrium, licet debile et infirmum.

Tertio, Adam post lapsum mansit liberi arbitrii, utpote per quod pœnitentiam egit, et gratiam Dei habitalem (etsi non justitiam originalem) recuperavit, *Sapient. x, 2*. Ergo et posteris ejus habent idem; præsertim quia Deus Adæ post lapsum statim promisit Christum, cujus gratia omnes homines restaurari et salvari possent, si vellent, *Genes. iii, 15*. Sicut ergo Adam fuit liberi arbitrii, sed tamen eo uti non potuit ad opera salutis sine gratia Dei, sic et nos; et sicut illi gratia a Deo præparata fuit ad hoc, sic est et nobis per merita Christi, eaque potentior et efficacior quam fuerit data Adæ, tum ut infirmitatem hominis post lapsum corroboret, tum ut concupiscentiæ fortiter oppugnanti resistere, eamque reprimere valeat, uti docet S. Augustinus *De Correctione et Gratia*, cap. xiii. Justitia ergo originalis non faciebat Adam liberum, ac consequenter per peccatum adempta non effecit servum; sed faciebat ut homo facilius et efficacius naturali sua libertate ad bonum naturale, supernaturaliter vero ad supernaturale uteretur. Sed huic defectui jam succurrit vis et efficacia gratiæ Christi, uti pulchre docet hic Rabanus. Hoc enim pertinet ad suavem Dei erga hominem providentiam. Quare sicut eum posuit eum « in manu consilii sui, » hoc est, eum fecit eum potentem ad libere operandum, sive, cum dedit ei potestatem liberi arbitrii, simul tacite promisit ei suum cum ea in operando concursus (nam sine eo impotens esset ad operandum): sic pariter tacite promisit eidem auxilium necessarium ad bene operandum; nam sine eo bene operari non posset, ideoque ad hoc non esset liber, imo nec potens.

Quarto, ita explicat S. Augustinus *De Gratia et Lib. arbit. cap. ii*. Nam citato toto hoc Ecclesiastici loco subdit: « Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri et fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? » Et S. Athanasius, vel potius Anastasius Nicænus, qui floruit anno Domini 880, *Quæst. in S. Script. Quæst. 16*: « Est enim, inquit, in nostra potestate et libero nostro arbitrio salus nostra et interitus, sicut scriptum est: Deus ab initio fecit hominem, et dimisit eum in manu consilii sui. » Idem ex hoc loco docet Damascenus, lib. I *Parallel. cap. ix*, ac S. Basilius, cujus verba mox recitabo.

Denique Deus hominem creavit ad imaginem et similitudinem suam, ita ut, quamdiu homo est homo et creatura humana, gerat in se hanc Dei creatoris sui imaginem. Hanc autem in libertate arbitrii collocat S. Ambrosius, Rabanus et alii. Vide dicta *Genes. ii, 7*. Audi Tertullianum, lib. II *Contra Marc. cap. v*: « Homo, ait, in ea substantia quam a Deo traxit, id est animæ, ad formam Dei spondentis, et arbitrii sui libertate et potestate signatus est. Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex, tunc a Deo posita. Non enim poneretur lex ei qui non haberet obsequium debiti legi in sua potestate; nec rursus comminatio mortis transgressionem ascriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic et in posteris legibus Creatoris invenias proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem; sed nec alias totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, advocante Deo et minante exhortanteve, nisi et ad obsequium et ad contemptum libero et voluntario homine. » Idem, *Exhortat. ad castit. cap. ii*: « Sed quomodo vetat quædam, quibus etiam supplicium æternum comminatur? utique etiam quæ vetat, non vult, a quibus et offenditur: sicut et quæ vult præcipit, et accipit, et æternitatis mercede dispungit. Itaque cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, quid velit et quid nolit, et jam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est: Ecce posui ante te bonum et malum: gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse et velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas, cum malum volumus adversus Dei voluntatem qui bonum vult. Porro si quæris, unde veniat ista voluntas, qua quid volumus adversus Dei voluntatem? Dicam: Ex nobis ipsis. »

15. ADJECIT MANDATA ET PRÆCEPTA SUA. — Hæc

Origo libertatis est facultas consultandi.

Ex hoc loco probatur liberum arbitrium demonstratur

primo



verba jam desunt in Græco et Syro : olim tamē fuisse colligere licet ex S. Augustino in *Speculo*, ubi eadem legit. Sensus est, *q. d.* Deus condidit hominem liberum, et reliquit eum in manu consilii sui; at non ita, ut eum a se et sua providentia eximeret, dimitteret, et quasi onagram liberum ab omni lege, quo liberet abire, abire permitteret; sed quasi summus omnium gubernator, legislator, rex, dominus, iudex et vindex, ei leges suas proposuit, puta naturalem, sive decalogum, Adā et posteris, cum mente et ratione indidit : positivam vero, puta cæremonialem et iudicialem, per Mosē tradidit. Atque, ne leges hæ homini onerosæ et graves acciderent, addidit et obedientibus præmia, inobedientibus vero pœnas intentavit. Hæc ergo tria hoc ordine instituit Deus : primo, homini indidit liberum arbitrium; secundo, addidit præcepta; tertio, adjecit præmia.

16. SI VOLUERIS MANDATA SERVARE, CONSERVABUNT TE, ET IN PERPETUUM FIDEM PLACITAM FACERE. — Græca concisa sic habent, *si volueris, conservabis mandata, et fidem facere beneplaciti, q. d.* In tua potestate et arbitrio quod tibi Deus dedit, est, ut serves mandata, itaque facias fidem, id est, præstes fidelitatem beneplaciti, id est, Deo placitam et gratam; et enim *fidem facere placiti* pendet a *conservabis*, et explicat *mandata, q. d.* Conservando mandata, conservabis facere, id est, perges præstare fidem Deo placitam et debitam. Hinc S. Augustinus *De Gratia et Lib. arbit.* cap. II, legit : « Si volueris, conservabis mandata, et fidem bonam placiti. » Idem tamen in *Speculo* prorsus legit ut noster Interpretes. Sic et Syrus, *si voles, inquit, custodies præcepta ejus, et si credideris in eam, etiam tu vires.*

Nostra versio plenior et nervosior, ideoque germanior est. Quare videtur habuisse Interpretes noster plenius exemplar Græcum : aut certe vim vocis Græcæ profundius penetravit, et plenius expressit per elegantem paronomasiam elegans et doctus Interpretes. Græca enim ab eorum habent, *ἐὰν θέλῃς συντηρήσεις ἐντολάς, si volueris, conservabis mandata*, scilicet, ita ut ipsa pariter conservent te. Vis enim est in præpositione *σύν*, id est *cum*; simul enim conservare, est simul cum alio servare : ut servans alium vicissim servetur ab eo, *q. d.* Si conserves mandata, ipsa vicissim conservabunt te : conservatio enim est mutua servatio, et conservator tam conservatoris, quam conservati est conservator. Hæc enim sunt correlativa. Vide hic quam mandata eorumque custodia sint boni, non *ἀντιπροβλεπτικῆς*, sed animæ custodes, adversus hostes etiam intimos; sicut et regem custodiunt magis misericordia et veritas, quam milites et satellites, « et roboratur clementia thronus ejus, » *Prov. xx, 28.* Quocirca Tigurina vertit, *si volueris, mandata servabis, ipsaque te vicissim conservabunt*, tum in vita præsentis et æternæ, tum in Dei gratia et gloria, idque primo, quia

Deus conservat conservantem stia mandata. *Secundo*, quia ipsum exercitium mandatorum auget virtutes in anima, quæ auctæ dant homini vires ad resistendum tentationi et dæmoni. *Tertio*, quia conservatio mandatorum minuit cupiditatem, quæ venenum est charitatis : crescente enim virtute, necesse est ut vitium ei oppositum decrescat.

Nota : *Et in perpetuum fidem placitam facere*, id est, et in perpetuum fidelitatem Deo placitam præstare, pendet a verbis præcedentibus. Repete ergo ea, *q. d.* Si volueris perpetuo servare fidem Deo placitam (servando ejus mandata), hæc fides sive fidelitas tua vicissim perpetuo conservabit te : proficiet enim similem, imo majorem Dei fidelitatem erga te, *q. d.* Si tu Deo fidelitatem serves, Deus vicissim tibi fidelitatem servabit; si tu Deo sis fidelis, Deus tibi pariter fidelis, imo fidelior, et fidelissimus erit. Est enim quasi quoddam pactum inter Deum et hominem, quo alter alteri fidelem se fore spondet, nimirum homo spondet se obediturum Deo, ejusque mandata servaturum : Deus vicissim spondet se hominem sua gratia, protectione et gloria remuneraturum. Explicat enim quid sit mandata servare, nimirum, quod hoc sit fidem placitam facere. Quare verba *si volueris et conservabunt*, quæ mandatis adaptavit, eadem fidei placitæ adaptanda relinquit : ne enim ea iterare cogatur, brevitatibus et concinnitatis studio ea subicit. Unde Complutenses aliaque vetera Biblia legunt, *et fidem placitam servare*. Hinc et Tigurina vertit, *si volueris, servabis mandata, ipsaque te vicissim conservabunt, et fidem præstabis obsequiosam*. Adde, posse hic esse hysteron proteron, ac per illud præponenda esse hæc verba hoc modo : « Si volueris mandata servare, et fidem placitam facere, conservabunt te, » scilicet, hæc duo, mandata et fides, quæ reipsa sunt unum et idem. Sic enim subinde post absolutam sententiam, menti aliquid addendum vel interjiciendum occurrit, quod verbo uno alterove addimus, reliqua auditori supplenda et ordinanda relinquentes ex sententia jam dicta, ne eam totam illico iterare cogamur. Id ita esse patet ex Græco; in Græco enim plana est sententia pendens a *conservabis*, uti paulo ante dixi; ac non minus plane quiddam aliter dispungentes, ex Græco sic vertunt, *si voles, conservabis mandata, et fidem ποιήσαι εὐδοκίας*, id est, *ut facias quæ vult*, puta beneplacita Dei : hæc enim sunt ejus *εὐδοκία*, quæ vicissim Dei in nos *εὐδοκίαν*, id est, benevolentiam, gratiam, favorem et amorem proliciunt et provocant; magnes enim amoris est amor. Hoc est quod ait Christus, qui est Patris sapientia : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, » *Joan. xiv, 23.* Deus enim mansionem et hospitium, hospitemque suum tutatur et conservat. Quis enim eum lacerare audeat, qui Dei vallatur præsidio? Unde

*Eccle. viii, 5*, dicitur : « Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. » Et Christus *Joan. viii, 51* : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. »

Porro, liberum arbitrium non excludit gratiam Dei, uti voluit Pelagius, sicut causa secunda non excludit concursum causæ primæ : illa enim huic subordinatur, ab eoque essentialiter pendet. Nihil enim potest (imo esse nequit) concursus causæ secundæ sine concursu causæ primæ. Id ipsum ex versione Græca colligit S. Augustinus lib. *De Gratia et Lib. arbit.* cap. xv : « Ad hoc enim valet, inquit, quod scriptum est : Si volueris, conservabis mandata; ut homo qui voluerit et non poterit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur : tunc enim utile est velle, cum possumus; et tunc utile est posse, cum volumus : nam quid predest si quod non possumus, volumus; aut, si quod possumus, nolimus? » Subdit deinde argumentum Pelagianorum, illudque similibus S. Scripturæ phrasibus diluit, dicens : « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt : Non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides quæ orando impetrat. Denique ipse qui dixit : Si volueris, conservabis mandata; in eodem libro (Ecclesiastico) aliquanto post dicit cap. xxii : Quis dabit in ore meo custodiam, et super labia mea signaculum astutum, ne forte cadam ab eo, et lingua mea perdat me? Jam certe mandata acceperat : Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum, *Psalm. xxxiii.* Cum ergo verum sit quod dixit : Si volueris, conservabis mandata; quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in psalmo : Pone, Domine, custodiam ori meo? » *Psalm. cxl.*

Symbolice, Hugo, Dionysius et Paladius : Fidem, inquit, placitam servare est, eam servare corde et opere, quia fides sine operibus mortua est, *Jacob. ii.* Igitur fides placita, est fides operans per dilectionem ejusque opera. Unde Radulphus in *Levit. xxvi, 3*, mystice explicans illud, *Si in præceptis meis ambulaveritis, etc., apprehendet messium trituram vindemiam, et vindemia occupabit messem* : « Omnis bona actio, inquit, tam messis est, quam semē, quia munditas quam de transactis laboribus mens nostra concipit, ne vorum germinat concupiscentiam, ut multiplicato semine actionis, multiplicetur et messis retributionis. »

17. APPOSUIT TIBI IGNEM ET AQUAM : AD QUOD VOLUERIS, PORRIGE MANUM TUAM. — Tigurina, *ignem et aquam tibi proposuit, ad utrumvis manum tuam exporrigere*; Syrus, *relicta sunt coram te ignis et aqua : id quod volueris extende manum tuam*. Per aquam

et ignem quæ sunt elementa opposita, proverbialiter accipe quælibet contraria, et præsertim ea quæ sequuntur versu proximo, scilicet bonum et malum, vitam et mortem. Unde Syrus idipsum significat per causale *enim*, dum subdit, *data est enim hominibus vita et mors*. Hinc secundo, per aquam quæ refrigerat, accipe refrigerium gloriæ; per ignem, pœnam et flammam gehennæ, *q. d.* Deus proposuit tibi bonum, ejusque præmium, scilicet gloriam æternam; proposuit et malum, ejusque pœnam, scilicet ignem æternum, *q. d.* Proposuit tibi gloriam et damnationem, cælum et gehennam, felicitatem et miseriam, vitam et mortem : elige utrumlibet quod vis. Ita Rabanus : « In igne, ait, tribulatio, in aqua refrigerium exprimitur. Apposita ergo sunt coram nobis tribulatio et prosperitas; si voluerimus opere exercere mandata Dei, habebimus consolationem vitæ æternæ; si autem contemptores fuerimus mandatorum ejus, sequetur nos in furore pœna gehennæ. » Sic et Lyranus, Jansenius, Paladius et alii. Per ignem enim apte significatur ignis gehennæ, per aquam cælum, quia cæli ex aquis facti sunt; unde et aquæ sunt supra cælos, uti dixi *Genes. i, vers. 1 et 6.* Igitur Deus hominis arbitrium suspendit quasi in æthere, inter duo extrema elementa : aquam, in symbolum refrigerii æternæ vitæ; ignem, in expressionem tormentorum apud inferos.

Quocirca Nazianzenus, orat. *De Amore pauperum*, docet hominem constare partim terra ima, partim cælo, puta partim concupiscentia, partim ratione et mente, quæ viam justitiæ in cælum ostendat; idque factum asserit divino consilio, ut homo sciret se e cælesti simul et tartarea quasi conflatum materia, ut quo velit propendat libere. Ut intelligamus, inquit, nos maximos simul et abjectissimos esse, terrenos et cælestes, temporaneos et immortales, lucis ac ignis tenebrosi hæredes, prout ad alterutrum nos propendere contigerit.

Ex dictis patet liberum arbitrium esse instar libræ, cujus libripens est homo, bilances sunt ignis et aqua, bonum et malum, præmium et supplicium, ac in utrumlibet propensio, vel utriuslibet electio. Unde Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. vi, agens de homine libertate prædico : « Quasi libripens, ait, emancipati a Deo boni libertas et potestas arbitrii. » Ac deinde invehitur in eos, qui, cum libero arbitrio dominantur cæteris mundi rebus, ipsum tamen faciunt servum concupiscentiæ et peccati. « Alias, inquit, quale erat, ut totius mundi bona possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum dominus, sui famulus? »

Minus apposite et genuine aliqui, per ignem et aquam accipiunt res quaslibet hujus mundi, quarum usum Deus homini concessit, *q. d.* Deus omnium rerum homini usum concessit, ut iis pro sua libertate utatur : si bene, ad vitam; si



male, ad mortem. Et alii, qui censent hic alludi ad ritum Romanorum, quo sponsa marito se despondens tangebatur ignem et aquam: « Quia, inquit Plutarchus, in *Quaest. Rom.* Quæst. V, ignis lustrat, aqua purgat; debet autem quæ nubit, puritatem ac castimoniam conservare, » *q. d.* Simili modo Deus cuique apposuit ignem et aquam, ut per tribulationes purgemur et lustremur, itaque sponso Christo animas quasi sponsas, puras et integras sistamus. Hæc, inquam, minus genuina sunt; nam ex sequentibus patet opponi aquam et ignem, quasi bonum et malum, vitam et mortem, ut hominis sit unum sua libertate amplecti, alterum ei oppositum refutare; sapientis vero eligere id quod bonum est.

18. ANTE HOMINEM VITA ET MORS, BONUM ET MALUM: QUOD PLACUERIT EI, DABITUR ILLI. — Syrus, *data est enim hominibus vita et mors, ut eligant vitam, et derelinquant mortem.* Alludit ad *Deuteronom.* cap. xxx, 15: *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum.* In liberam prædam, ait S. Chrysostomus; quasi enim liberum quoddam voluit esse aucupium mortis ac vitæ, ut in alto velut suspensa animabus fidelium exponerentur ad prædam. » Et vers. 19: « Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas. Ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum. »

Vide S. Basilium, homil. in *Psal.* LXI, ad illud: « Veruntamen vani filii hominum, mendaces in stateris, » ubi docet hanc stateram esse liberi arbitrii, rationis et consilii homini a Deo inditam; mendaces vero esse qui corruptam habent rationem, iudicium et consilium. Sed audi ipsummet: « Quid igitur est quod dicit? Quoniam cui libet nostrum intus statera quædam est a conditore omnium apparatus, per quam rerum naturam possis probe discernere. Posui, inquit, ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum, duas inter se contrarias naturas: has tu apud tuum tribunal et iudicium examina, ac diligenter expende quid utilius tibi sit: an momentaneam parumque duraturam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas æternam; an in virtutis exercitatione afflictionem malle, qua perpetuas consequaris delicias? Mendaces ergo homines corrupta habentes animæ iudicia. Quos et Propheta miseris prædicat, dicens: Væ dicentibus tenebras lucem, et lucem tenebras; amarum dulce, et dulce amarum. Mihi, inquit, præsentia dentur, quis novit futura? Male libram expendis, mala pro bonis eligens, vana veris anteponeas, momentanea perpetuis potiora ducens, transitoriam denique voluptatem pro lætitia nunquam desitura ac perpeti præeligens. Mendaces ergo homines in stateris iniquitatis, injuria afficiunt

præcipue quidem seipsos, deinde vero proximos. Nam, cum in propriis factis male sibi consulant, malo sunt etiam proximis exemplo. Nee enim die illo iudicii tibi licuerit dicere: Quia nescivi quid esset bonum. Tibi namque proprie datur libra, quæ sufficiens discrimen boni ac mali demonstrat. Corporea namque pondera in libræ lancibus probamus: quæ vero ad instituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium discernimus, quod et stateram nominavit, quod momentum æquale ad utramlibet possit capere. »

Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.* cap. v, citans hunc locum Siracidis nomine Salomonis, sic citat: « Ecce do ante faciem tuam vitam et mortem, diligere Dominum Deum, et ambulare in viis ejus, et audire vocem ejus, et credere vitæ. » Sed commiscet verba Ecclesiastici cum verbis Mosis jam citatis ex *Deuteronom.*, ut patet utraque conferenti; quin et verba Mosis concidit, et in pauca contrahit. Similiter hunc locum explicat Origenes Clementis discipulus, lib. I in *Epist. ad Romanos.* Et Gaudentius Brixianus Episcopus, tract. 13 *De Natali Domini*: « Vult, inquit, Dominus vere justus iudex, ut meriti proprii sibi sit causa unusquisque: vult et justum pro solâ justitia pati; vult et iniquum, si in malitia perduraverit, reum mortis pro arbitrio judicari. Figuravit enim Deus, etc., hominem, ut Scriptura testatur, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, et dimisit eum in manu consilii sui, posuit ante eum ignem et aquam, dicens: Ad quodcumque volueris, extende manum tuam. Posuit, inquit, ante homines Deus aquam et ignem, id est refrigerium et poenam, remissionem et supplicium, vitam et mortem. Quis, oro, non refugiat supplicium, poenam et mortem, et eligat refrigerium, remissionem ac vitam? »

Mystice, Origenes per vitam accipit Christum, per mortem diabolum: sic enim ait, lib. I in *Epist. ad Romanos*: « Ecce posui ante faciem tuam vitam et mortem, ignem et aquam: vita ergo Christus est, et mors novissimus inimicus, qui est diabolus; quod si agnoscens anima Deum, Christum vitam suam amplexata non fuerit, derelinquetur sine dubio, et deseretur ab eis qui eam favore suo, ut spiritui jungeretur, animabant. »

Moraliter, vide hic quanta hominis dos et dignitas sit liberum arbitrium, quo dotatus est a Deo, quia per hoc primo, similis est Deo et Angelis; secundo, eminet cæteris creaturis; tertio, est dominus sui ipsius suarumque actionum; quarto, capax est virtutis; quinto, capax est meriti; sexto, meretur vitam et gloriam æternam. Unde S. Bernardus, tractatu *De Diligendo Deo*, post initium: « Dignitatem, ait, in homine liberum arbitrium dico, in quo ei nimirum datum est, cæteris non solum præeminere, sed et præsidere animantibus. » Idem, serm. 81 in *Cantic.* « Arbitrii libertas, ait, est plane divinum quod-

dam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum et malum, nec non inter vitam et mortem, sed nihilominus inter lucem et tenebras, et cognitio iudicii, et optio eligendi. » Quocirca summe conandum est homini, ut hac libertate arbitrii bene utatur ad bonum, ad quod ei a Deo data est, ut scilicet bona operando mereatur felicitatem æternam. Porro, ut id faciat, astringat illud Deo, eique illud offerat et consecret per propositum efficacis crebroque iteratum, Deo in omnibus obsequendi; assidue postulans ab eo ut ipse illud quasi suum possideat, gratiaque sua regat et dirigat ad omne bonum, adeoque ad portum salutis æternæ. Si enim possideatur a concupiscentia, peccato et diabolo, agetur ad omne malum, indeque in gehennam. Unde S. Augustinus *Enchir.* cap. xxx: « Libero arbitrio, inquit, male utens homo, et se perdidit et ipsum. » Et mox: « Cum libero peccaretur arbitrio, victore arbitrio amissum est liberum arbitrium, non quoad libertatem proprie dictam, quæ adversatur coactioni, sed quoad libertatem a peccato et poena. Unde subdit S. Augustinus: « A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est; » et cap. xxv: « Mortis supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret; sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio. »

19. QUONIAM MULTA SAPIENTIA DEI, ET FORTIS IN POTENTIA, VIDENS OMNES SINE INTERMISSIONE, — *q. d.* Deus constituit hominem in manu consilii sui ex multa sapientia, ut scilicet homo libere operando eligeret bonum vel malum, itaque mereretur præmium vel poenam, ut in iis irrogandis, puta in hominum glorificatione vel damnatione, ostenderet fortissimam suam potentiam. Et ne quis putet se in tanto hominum numero posse latere, fallere vel evadere, addit: « Et videns omnes sine intermissione, » *q. d.* Dei oculus singulos, et singula etiam occultissima, inspicit, ut iudicet et præmiet, vel puniat. Græca habent, *quoniam multa sapientia Domini est, et potentia pollet, et omnia videt.* Nervose Syrus, *quia fortis est sapientia Dei, et valens viribus giganteis ipse* (unde Syri Deum vocant *gigantem sæculorum*, quia omnia sæcula sua æternitate, immensitate et potentia ambit et complectitur), *et omnia oculi ejus vident.*

Palacius hæc refert ad vers. 11; nam censet eadē dici contra Theologastros, qui argute cavillantur impios male agere, eo quod desit eis gratia efficacis ad bene agendum; sive ideo impios eligere mala, quia Deus efficaciter non dedit eis bona. Contra hos, inquit, Siracides adjecit: « Multa sapientia Dei, et fortis in potentia, » *q. d.* Adeo sapiens est Deus, ut non nisi quibus voluit,

gratiam dederit, et nihilominus iis quibus dare non voluit, omnem conquerendi occasionem amputarit. Nec enim eos in ignem conjiciet, quia eis gratiam non dedit; sed quia illi habentes bona coram se et mala, ad mala extenderunt manum suam. Multa est igitur Dei sapientia, quæ improbis querelæ occasiones rescidit; fortis est divina potentia, quæ non nisi quæ voluit fecit. Rodat igitur reprobos ossa hæc. Non damnabitur in igne perpetuo, propter negatam sibi gratiam, sed propter culpam admissam a se. Caveat ille, ut potest, malum, et cavebit etiam ignem. Id altissime dixit Auctor illis verbis: « Quod placuerit ei, dabitur illi. » Ne igitur impie credas aliud tibi dari, quam quod tu tibi delegisti. Hæc Palacius.

Præclare Boetius, lib. V, *prosa 6*: « Omne futurum, inquit, divinus præcurrit intellectus, et ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet et revocat; nec alternat, nunc hoc, nunc illud per noscendi vices, sed uno ictu omnes mutationes manens prævenit. » Quibus adde, Deum impiis præparare et dare (præsertim si humiliter eam postulent) gratiam sufficientem, cum qua possint, si velint, peccata vitare, et bona capessere. Ideo enim dicitur sufficiens: quare si cooperari velint, facient eam efficacem; efficacis enim dicitur, quæ habet effectum. Etsi enim in nostra potestate non sit, ut Deus det nobis gratiam illam quam prævidet fore congruam et efficacem, non aliam quam prævidet fore inefficacem; tamen Deus sponte et ex sua liberalitate omnibus dat gratiam, eui si impii cooperari velint, reddent eam efficacem, æque ac faciunt pii; sed quia ipsi eidem libere cooperari nolunt, idque prævidit Deus, ideo dicitur eis dedisse gratiam sufficientem quidem, et quam prævidebat fore inefficacem et incongruam, eo quod ipsi sua desidia vel malitia eam cassam et inefficacem reddant, cum Deus velit et omnino desideret ut ipsi illi cooperentur, eamque fructuosam et efficacem efficiant. Nec enim Deus studio, et ex proposito querit aut seligit gratias inefficaces quas det impiis; sed ex parte et intentione Dei omnis gratia est efficacis in actu primo, hoc est, vim et efficaciam habet, ut opus efficiat, si voluntas ei cooperari velit, idque intendit et vult Deus; nam ideo datur a Deo, quod scilicet ipse sincere et ex animo intendat et cupiat ut voluntas illi cooperetur, itaque per eam opus perficiat. Hoc enim fine duntaxat eam dat; nec enim alius fingi potest, uti passim docent Theologi.

20. OCULI DOMINI AD TIMENTES EUM, ET IPSE AGNOSCIT OMNEM OPERAM HOMINIS. — Confirmat id exagere id quod dixit: « Et videns omnes. » Ut enim animet pios ad eligendum et faciendum bona, quæ mundani in hac vita negligunt, imo parvipendunt et spernunt, dicit Dei oculos jugiter contemplari timentes eum, et ipsum agnoscere, imo inspicere omnem operam; Græce *ἐπιθεωρεῖν*, id est *omne opus*, sive omnem operationem



hominis, tam externam quam internam. Unde Syrus vertit, et novit omnes cogitationes hominum, ut scilicet eas judicet et præmii præmio præsentis et æterno, aut puniat pœna præsentis vel æternæ; Tigurina. oculis suis reverenter ipsum aspiciat, et omne opus hominis cognoscit. Juxta illud Job xxxi, 4: « Nonne ipse (Deus) considerat vias meas, et omnes gressus meos dinumerat? » Inter alia autem præmia timentium Deum est hoc, quod ipse peculiariter eos protegat, dirigat et preces eorum exaudiat, juxta illud Psalm. xxxii, 18: « Oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. » Et Psalm. cxliv, 19: « Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos. » Ex adverso de impiis Deum non timentibus dicitur Proverb. xxviii, 9: « Qui declinat aures suas ne audiat legem, » quia scilicet Deum non timet, oratio ejus erit execrabilis.

Nota: τὸ ὄculus Domini ad timentes eum, primo, significat Deum acutissimo mentis oculo omnes justorum actiones, intentiones, vota et desideria inspicere; secundo, iis oblectari et pasci; tertio, eos singulariter amare, curare, protegere et de omni bono providere. « Oculi enim, ait Aristoteles, lib. I Histor. Animal. cap. x et xi, in cerebrum finiunt; » in cerebro autem est prudentia et providentia. Et cap. xvi: « Meatus, ait, ab oculis terni ad cerebrum perfinent, ita ut maximi et mediocres ad cerebellum tendant, minimi ipsum cerebrum adeant. » Hinc addit Aristoteles, cap. x, in oculis exstare mentis animique indicia: « Notam, inquit, morum laudabilium habent, qui medioeriter convivent. Reliquorum alteri impudentiæ, alteri inconstantiae indices sunt. » Ita Deus timentes se habet in oculis, hoc est, in cerebro mentis, in cura et amore, in eosque blande et benevole intuentur convivet, optimeque affectum sese demonstrat. Quarto, timentes se a non timentibus discernere, dando eis gratiam et gloriam. Unde Tertullianus, lib. II Contra Marcionem, cap. iv: « Et dixit, inquit, Deus: Fiat, et factum est, et vidit Deus quia bonum (Genes. 1): non quasi nesciens bonum, nisi videret; sed quia bonum ideo videns, honorans et consignans, et dispungens bonitatem operum dignatione conspectus. » Quinto, Deum timentes se habere in summo pretio, utpote quos præ toto mundo habeat in oculis, qui, ut ait Plinius, lib. XI, cap. xxvii: « Sunt pars corporis pretiosissima, et qui lucis usu vitam distinguunt a mortē. » Unde ait: « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, » Zachar. ii, 8. Vide ibi dicta, quia scilicet timentes Deum, Dei legem vicissim, quasi pupillam oculi sui custodiunt, ut dicitur Proverb. vii, 2.

21. NEMINI MANDAVIT IMPIE AGERE, ET NEMINI DEDIT SPATIUM PECCANDI. — Docuit vers. 11, Deum non esse causam peccati physicam, hic docet nec esse moralem: talis enim est imperium, jussio, consensus, q. d. Deus sicut non facit peccatum, sic

nec illud imperat, aut in illud consentit. Syrus non præcipit hominibus ut peccent, et non dicit filiis carnis ut sotes fiant (alius codex habet, ut inique agant), et non miseretur facientibus mendacium.

Pro spatium Græce est εὐχαι, quod primo, Complutenses, Tigurina et alii vertunt, licet utiam, libertatem, indulgentiam: Neque illi, inveniunt, dedit licentiam peccandi; permittit quidem Deus homines peccare, id est non impedit, quia eos creavit liberos, ut libere eligerent quod vellent; sed nulli dedit vel dat facultatem aut licentiam peccandi, ita ut licite quis peccet. Sic enim peccatum non esset peccatum, sed res licita, utpote quæ fit ex concessione et licentia Dei, quod implicat; imo vero Deus, cum permittit peccata, minatur peccatoribus gehennam, ut ostendat quam illa execretur.

Secundo, εὐχαι significat impunitatem, q. d. Deus nulli peccato vel peccatori dedit dabitque impunitatem, neminem peccantem impune abire sinet; sed quemlibet pro demeritis puniet. Ita Rabanus. Fuerant enim et etiamnum sunt nonnulli Christiani, qui (ut dixi cap. iii, in fine) putant impune sibi licere rapere aliena, et facere quidquam libet, modo dent eleemosynam, vel colant B. Virginem. Quem errorem refert et refellit ex hoc loco S. Augustinus Enchiridii cap. lxx: « Sane cavendum est, inquit, ne quisquam existimet infinda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando delectat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. »

Tertio, εὐχαι verti potest spatium, dilatio. Multi enim putant licere sibi uti flore juventutis ad omnem cupiditatem, Sapient. ii, 6, proponentes se acturos penitentiam in senectute. Multi principes putant quilibet sibi licere, dummodo in hora mortis respiciant. Multi putant in bacchanalibus licere insanire, vacare veneri et ventri, et facere quod lubet, dummodo in Quadragesima peniteant. Unde in Ephemeridibus nonnullis illi dies antecinerales vocantur dies stultorum vel insanorum. Sed errant; Deus enim nulli, vel horam, vel momentum concessit ad peccatum; sed quodlibet peccatum æque peccatum est, et æque displicet Deo in juventute atque in senectute, in principatu atque in privata vita, in bacchanalibus atque in Quadragesima. Hoc est quod ait Job, cap. xxiv, 23: « Dedit illi Deus locum penitentiae, et ille abutitur eo in superbiam. » Eodem redit hic sensus cum priori; qui enim dat spatium peccandi, dat et licentiam peccandi, saltem pro illo spatio et tempore.

Porro quomodo Deus præceperit Semei ut ma-

lediceret David II Reg. xvi, 10; quomodo Assyrios tyrannos vocaverit suam virgam, qua castigavit Hebræos Isaia x, 5, ibidem explicui. Nimirum mala impiorum voluntas dicitur virga Dei, non quasi causæ efficientis, quod eam fecerit; sed quasi jam facta, et ab homine posita utentis ad castigationem aliorum. Hic autem usus, et hæc ordinatio in Scriptura vocatur præceptum; omnis enim Dei dispositio, ordinatio, directio, gubernatio sive positiva, sive permissiva, vocatur præceptum. Sic Deus dicitur præcepisse corvis ut pasceret Eliam, III Reg. xvii, 4: præcepisse, id est, ordinasse et disposuisse; alioqui enim corvi, cum sint irrationales, præcepti et mandati proprie dicti sunt incapaces. Et Matth. xix, vers. 7, dicitur: « Moses mandavit dare libellum repudii. » Mandavit, id est, ordinavit et permisit, uti explicatur vers. 8. Sic ergo Deus præcepit, id est, ex proposito permisit, Semei maledicere Davidi, ordinando hanc ejus maledicentiam in pœnam homicidii Davidis; unde pro præcepit, Hebræa, Chaldæa et Septuaginta vertunt dixit. Dices: S. Augustinus De Gratia et Libero arbitr. cap. xx, ait: « Deus Semei voluntatem proprio vitio malam, in hoc peccatum suo justo et occulto judicio inclinavit. » Respondeo, inclinavit, id est, inclinatum ad maledicendum impeditur ne in alium maledicta jaceret, ac dimisit ut ea jaceret in Davidem; sicut qui leonem quem ligatum manu tenet, objectis variis canibus, cohibet ne in alios feratur, ac dimittit et permittit eum ferri in canem sui inimici. Unde subdit S. Augustinus: Dixit Deus Semei ut malediceret David, id est, cor ejus malum misit vel dimisit. Tantum enim vult S. Augustinus, corda hominum etiam impiorum esse in manu Dei, ut alio ferri nequeant quam quo ipse voluerit permittere et ordinare ad hos illosve puniendos.

22. NON ENIM CONCUSPISCIT MULTITUDINEM FILIORUM INFIDELIUM ET INUTILIUM, — quales sunt peccatores et impii. Dat causam cur Deus non mandet, nec det licentiam peccandi, quia scilicet non concupiscit, imo odit et execratur impietatem et impios. Est miosis: minus enim dicitur, et plus significatur; non concupiscit, id est, odit et abominatur. Græce est ἐμισύει, quod Noster accipit ut tertiam personam Indicativi, ideoque vertit, concupiscit. Jam vero Complutenses, Tigurina, Syrus et alii accipiunt ut secundam personam Imperativi, vertuntque, ne concupisceat multitudinem filiorum inutilium. Unde hæc jungunt eum sequentibus: « Ne jucunderis in filiis impiis; » atque in fine inchoant cap. xix. « Apud homines, inquit

Philo, lib. De Migratione, injustos multitudo pluris quam unus justus aestimatur; apud Deum vero bonitas rara præfertur iniquis innumeris. » De quo plura cap. sequenti, vers. 1 et 3.

Porro ratio, et quasi causa a priori, cur Deus non possit mandare alicui ut impie agat, nec ei dare spatium peccandi, neminem quoque implanare, est infinita ejus sanctitas, bonitas, sapientia et potentia. Qua ratione enim Deus, qui est summa sanctitas, amet impietatem, imo eam mandet? qua ratione summa sapientia alicquem implanet, et insipientem stultumque efficiat? qua ratione summa bonitas summum faciat malum? qua ratione summa potentia infirmitati peccandi, mentiendi, decipiendi subiaceat? Quare hæc ἀδύνατα et ἀπίνατα, Deo pariter ἀδύνατα et ἀπίνατα sunt, utpote a deitate Deique natura plane aliena. Impotentia enim impossibilium, summæ ac divinæ potentia est argumentum. Docet hoc pulchre et acute Theodoretus, lib. III Contra Hæreses: « Horum quidpiam non posse, inquit, infinitæ potentia signum est, non imbecillitatis indicium; posse vero, utique impotentia, non potentia. Quomodo hoc dico? Quoniam unumquodque eorum Dei firmitatem immutabilitatemque deprædicat. Bonum enim malum fieri non posse, supereminentiæ denotat bonitatis; et justum nunquam posse fieri injustum, nec veracem mendacem, hoc in veritate atque justitia stabilitatem soliditatemque demonstrat. Similiter lux vera non potest tenebrescere, nec is qui est, non esse; sufficiens enim habet esse, atque immutabilis existit lux. Sic et alia cuncta perlustrans, illud non posse, comperies summam potentiam significare. » Probat id ipsum ex S. Paulo: « Ita quoque in Deo talia non posse divinus Apostolus et intellexit, et posuit, nonnunquam quidem dicens: Impossibile est mentiri Deum; non infirmum illud impossibile, sed valde potens ostendens. Alibi vero scribens: Negare seipsum non potest. Rursus ergo illud: Non potest, infinita est demonstrativum potentia. Tametsi enim, inquit, omnes homines ipsum negarent, ipse Deus est, et a propria non excedit natura: nam incorruptibile habet esse, uti significat illud: Negare seipsum non potest. Redundantiam igitur indicat potentia, illa in deterius commutationis impotentia. Hoc modo multa Deo sunt impossibilia, et quidem tot tantaque, quanta sunt divinæ naturæ contraria. Illud ergo: Non est impossibile apud Deum omne verbum, intelligendum est de iis quæ naturæ divinæ congruunt; horum enim nihil impossibile est Deo. »